

Disputatio medica inauguralis, de phrentide.

Contributors

Brock, William Wallen.
University of Glasgow. Library

Publication/Creation

Glasgow, 1801.

Persistent URL

<https://wellcomecollection.org/works/eagv7faa>

Provider

University of Glasgow

License and attribution

This material has been provided by This material has been provided by The University of Glasgow Library. The original may be consulted at The University of Glasgow Library. where the originals may be consulted. This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.



Wellcome Collection
183 Euston Road
London NW1 2BE UK
T +44 (0)20 7611 8722
E library@wellcomecollection.org
<https://wellcomecollection.org>

DISPUTATIO MEDICA
INAUGURALIS,

DE

PHRENITIDE;

QUAM,

ANNUENTE SUMMO NUMINE,

EX AUCTORITATE DIGNISSIMI VICE-CANCELLARII

ARCHIBALDI DAVIDSON, S. S. T. P. P.

ET COLLEGII GLASG. PRÆFECTI;

NEC NON,

AMPLISSIMI SENATUS ACADEMICI CONSENSU,

ET

NOBILISSIMÆ FACULTATIS MEDICÆ DECRETO;

PRO GRADU DOCTORIS,

SUMMISQUE IN MEDICINA HONORIBUS AC PRIVILEGIIS RITE ET

LEGITIME CONSEQUENDIS,

IN COMITIIS UNIVERSITATIS GLASGUENSIS,

ERUDITORUM EXAMINI SUBJICIT

GULIELMUS WALLEN BROCK,


JAMAICENSIS.

“————— *Dicis facisque, quod ipse*

Non sani esse hominis, non sanus juret Orestes.”

AUL. PERS. SATYR. III.

AD DIEM XIX. AUGUSTI, HORA LOCOQUE SOLITIS.



GLASGUÆ,

EXCUDEBANT CHAPMAN ET LANG,



1801.

DISPUTATIO MEDICA

BRUCORUM

DE

PHREZITIDE

AVGUSTI M. D. C. C. C. C.

ARCHIBALD DAVIDSON, S. B. S.

ST. COLLEGE OF MEDICINE

EDINBURGH

AD PRIMUM SEMESTER ACADEMICI CURSUS

ET

AD PRIMUM SEMESTER FACULTATIS MEDICAE EDINBURGHENSIS

PRO GRADU DOCTORIS

CONFERRENDI A FACULTATE MEDICAE EDINBURGHENSIS

AD HONORIS GRADUM DOCTORIS

ARCHIBALD DAVIDSON

EDINBURGH

1844

ARCHIBALD DAVIDSON

EDINBURGH

EDINBURGH

EDINBURGH

EDINBURGH

1844

VITRICO,
VIRO OPTIMO
JACOBO SHAW, M. D.
QUI,
TRIGINTA OMNINO ANNOS,
QUORUM
VIGINTI DUO
IN
INDIA OCCIDENTALI,
MEDICINAM
FECIT,
HANC DISPUTATIONEM,
AMORE MOTUS,
D. D. C.QUE
GULIELMUS WALLEN BROCK.

DEPARTMENT OF THE INTERIOR

LAND OFFICE

JACOB SHAW, M.D.

DEPT.

PLATE NO. 111

1880

AMOUNT DUE

WILLIAM WALKER, ACTOR

LAND OFFICE


RECORDS

SECTION

[Faint, illegible text, likely bleed-through from the reverse side of the page]

DISPUTATIO MEDICA
INAUGURALIS,
DE
PHRENITIDE.

GULIELMO WALLEN BROCK, AUCTORE.



PROŒMIUM.

I. MORBORUM, quibus mortales oppor-
tuni sunt, multi sanè sunt frequentiores,
at nullus formidolosior periculosiorque,
quàm cerebri ejusque membranarum in-
flammatiò, quam *PHRENITIDEM* medici no-
minant. De hoc itaque morbo pauca
scribere, nobis consilium est; eòque magis,
quòd in patria nostra, caeterisque regioni-
bus, quae fervido sole torrentur, morta-
les haud rarò adoritur.

II. GRAECIS medicis, quandò partis cujuslibet inflammationem designare volebant, mos, erat nomini terminationem *itis* adungere. Hinc, apud eos, *HEPATITIS*, *GASTRITIS*, *ENTERITIS*, *NEPHRITIS*, significabant hepatis, stomachi, intestinorum, renum inflammationem. Similitudine igitur inducti, partis, ubi est mentis officina, inflammationem *PHRENITIDEM* nominârunt. GRAECOS imitatus, *SAPIENTIAE AEGRITUDINEM* appellavit PLINIUS (a).

III. Quanquam phrenitis, ubique orbis terrarum, nonnunquam accidit, saepiùs tamen, intra metas solstitiales, mortales adoritur atque intercipit. Etsi enim, in his regionibus, mortalium corpora huic morbo neutiquam opportuniora sunt, quam, in temperatioribus, solent; causis tamen, quibus concitatur, frequentiùs exponuntur.

IV. Mares, pariter atque foeminae, phrenitide

(a) Vid. PLIN. *Hist. Nat.* lib. vii. cap. li.

phrenitide nonnunquam plectuntur; at verò illi, quippe cum robustiores sint, frequentius.

V. Morbus, quem persequimur, adolescentes, aetateque florentes, saepius invadit, quam impuberes, annisve jam graves.

VI. Qui sanguineo temperamento sunt, ii, ni fallimur, prae caeteris, phrenitide corripuntur.

VII. Quamvis, quocunque anni tempore, incurset hic morbus, iis tamen potissimum temporibus adoritur, ubi maxima vis caloris urget.

VIII. Phrenitis modò cerebrum afficit, modò hujus membranas seu *meninges*; atque nonnulli medici, SAUVAGESIUS, nempe, SAGARIUS et LINNAEUS, diversa ei, pro parte affecta, nomina indiderunt. Cerebri inflammationem *CEPHALITIDEM* SAU-

VAGESIUS

VAGESIUS (*b*) et SAGARIUS (*c*), *SPHACELISMUM* LINNAEUS (*d*), nominant; membranarum verò, *PHRENITIDEM*.

IX. Sed, quoniam nec observatis ante mortem signis, nec patefactis defunctorum cerebris, hætenus medici perdidicerunt, quibus notis cerebri cognoscatur, quibus membranarum inflammatio (*e*), harum partium inflammationes genere diversas existimare, neque necessarium videtur, neque utile.

X. Multò utilius est, dividere phrenitidem in *VERAM* et *SECUNDARIAM*. Namque hae, utcunque signis similes sint, tamen cum ortu tum curatione diversae omninò sunt. Illa enim cerebri membranarumve inflam-

(*b*) Vid. SAUVAGES. *Nosolog. Method.* Class. iii. Gen. xi. et xix.

(*c*) Vid. SAGAR. *System. Morbor. Symptomatic.* Class. xi. Gen. xii.

(*d*) Vid. LINN. *Gener. Morbor. Definit.* Gen. xxxii.

(*e*) Vid. CULLEN. *First Lines*, § cxcii.

inflammatione oritur; haec, quae *PARAPHRENITIS* nominatur, nonnunquàm etiam *PARAPHROSYNE*, vel et *DESIPIENTIA* (*f*), aliarum partium inflammationi supervenit.

XI. Quanquam, de vera potissimùm phrenitide, in hac disputatione, scribere, nobis in animo est, quaedam tamen, hìc illic, interjiciemus, de secundaria, seu *symptomata*.

XII. Vera phrenitis rarus sanè morbus est; secundaria, frequentior. An verò utraque urgeat, necne, certò cognoscere, difficillimum est. Nam, uti multa ex malis, quibus utraeque pariter miseros affligunt, mortales aliquandò perurgent, neque tamen patefacta cerebra, post mortem, vestigia inflammationis inspicientium oculis ostendunt;

(*f*) Vid. BOERHAAV. *Aphorism.* § 771.

SWIETEN. *Comment.* tom. ii. pag. 581.

SAUVAGES. *Nosolog. Method.* Class. iii. Gen.

dunt; ita nonnunquàm mortalium, qui vivi paucis phrenitidis signis affligebantur, cerebra, post mortem, incisa haud dubias inflammationis notas monstrant (g).

(g) Vid. CULLEN. *First Lines*, § cexciji.

DEFINITIO.

XIII. VERA phrenitis à CULLENO definitur, “*pyrexia vehemens; dolor capitis; rubor faciei et oculorum; lucis et soni intolerantia; pervigilium; delirium ferox vel typhomania.*”

XIV. Nonnulli nosologorum contendunt, omnia signa, in hac definitione memorata, cerebri membranarum inflammationi propria esse, praeter *typhomaniam*; quae indicat, aegros sopore premi, atque, uti putant, cerebri substantiae insidere inflammationem. Hinc, ut ipse confitetur, CULLENUS adductus est, ut caeteris signis *typhomaniam* annumeraret. Sed, re etiam atque etiam consideratâ, subdubitat, hoc, necne, signum rectè adjecerit (*b*).

SIGNA.

(*b*) Vid. CULLEN. *First Lines*, § ccxciii.

S I G N A.

XV. Phrenitis, pariter atque alii morbi, qui inflammationem habent, à signis febris incipit, horroribus, nempè, vicissimque caloribus corpus percurrentibus.

XVI. Ineunte morbo, calet, praeter solitum, itemque dolet, caput. Rubent oculi et facies. Quies subindè turbatur, atque interrumpitur. Miser aliquantùm desipit. Nocturnâ vigiliâ premitur. Atque, uti protervus est, solitoque iracundior, ita dictorum, pariter atque factorum, obliviosus.

XVII. Haud multò pòst, nisi medicus opportunè succurrat, faveatque vocatus APOLLO, omnia mala ingravescunt. Perurget maxima vis febris. Arteriarum pulsus admodùm duri sunt, crebri, et veloces; praesertim in temporibus. Miser demens, atque vanis imaginibus addictus, non rati-
oni

oni diutiùs obtemperat; sed cùm intra verba desipit, tum continentibus insurgere, et violenter quaedam manu facere, conatur. Animo fervens, cupiditatibus ardens, linguae pariter atque irae impotens, coercentium spernax, fremibundâ atque minace voce, oculis simul trucibus, furorem personat.

XVIII. Somnus interea neque noctu, neque interdiu accedit; vel, siquandò obrepit, per somnia tumultuosus est, neque rarò terrificis imaginibus et lymphatico pavore subito divellitur. Oculi non solùm feroces sunt, sed etiam plùs solito prominent. Atque tanta vis morbi est, ut nonnunquàm è naribus sanguis erumpat.

XIX. Tam gravis verò morbus brevi, nisi medicinâ sanetur, mortem affert. Mitescentibus dolore capitis, atque lucis sonique intolerantiâ, membra devincit sopor, atque spiritus, sicut is attonitorum, tardiùs atque copiosiùs trahitur et emittitur. Tertio de-

mum, quarto (*i*), septimove (*j*) die, miser desperatus, vel sopore oppressus, vel omnes simul musculos convulsus, mortem occumbit.

XX. Eadem phrenitidi verae et secundariae signa communia sunt. Haec verò, uti levior nonnunquam est, ita longius aliquandò tempus cursu implet. Interdum enim phrenitide, quae aliis morbis supervenit, mortales non pereunt, ante diem ab adversae valetudinis initio trigesimum quartum, decimum septimum, aut vigesimum quartum (*k*). At nonnunquam tamen, quarto die, obeunt, perindè ac si inflammatio in cerebro ejusve membranis incepisset (*l*).

XXI.

(*i*) Vid. SAUVAGES. *Nosolog. Method.* Class. iii. Spec. 1.

(*j*) Vid. BOERHAAV. *Aphorism.* § 774.

SWIETEN. *Comment.* tom. ii. pag. 594.

(*k*) Vid. HIPPOCRAT. *Epidemic.* lib. iii. aegrot. 13 aegrot. 14 et aegrot. 16.

(*l*) Vid. *ibid.* aegrot. 5.

XXI. Memoratis signis, quibus cognoscatur phrenitis, nunc res morbidas, perindè ut, in patefactis defunctorum capitibus, introsipientium oculis obveniunt, paucis dicere, nobis in animo est.

INTROSPECTA CAPITA.

XXII. *SUBLATA* defunctorum calvâ, *dura mater* rubra, perindè atque aliae membranae inflammatae, conspicitur. Arteriae ejus venaeque solito numerosiores sunt; at tamen neutiquam tam confertae, quàm eae aliarum corporis membranarum, quae inflammatione laborant. Ex parte *durae matris* inflammatae multa vascula, minutissima sanè, at florido tamen sanguine turgida, in cranium transeuntia, oculis conspiciuntur (*m*).

XXIII.

(*m*) Vid. BAILL. *Morbid Anatomy*, edit. secund. pag. 422.

XXIII. Nonnunquàm, at rarissimè, effusa ex patulis *durae matris* arteriis *lymphæ*, internae ejus faciei adhaerens, adventitiam membranam repraesentat (*n*).

XXIV. Aliquandò, at perrarò, inflammata *durae matris* pars subjacentibus membranis concrevit in aliquod spatium sic, ut à se invicem difficillimè separari possint. Cerebri autem membranae inflammatae idcirco rariùs cohaerent, quòd ex patentibus earum arteriis sanguinis gluten rariùs effunditur (*o*).

XXV. Ubi *dura mater* inflammationem ceperit, praecipuè ex vi extrinsecùs illata, suppuratio haud rarò supervenit; atque, patefacto post mortem cranio, pus inflammatae parti superfusum conspicitur (*p*).

XXVI.

(*n*) Vid. BAILL. *Morbid Anat.* pag. 423.

(*o*) Vid. BAILL. *ibid.*

(*p*) Vid. BAILL. *ibid.* pag. 424.

XXVI. Nonnunquàm, at rarò, *dura mater* ulcerosa reperitur; saepiùs, ubi inflammationem moverit cranium graviter percussum aut vulneratum, *sphacelo* affecta (q).

XXVII. *Piae matris*, quae inflammationem passa est, arteriae multo numerosiores sunt, quàm ex consuetudine, itemque sanguine florido turgidae; atque tot surculos communes habent, ut rete visu pulcherrimum repraesentent. Plicae itidem, quae ex interna hujus membranae superficie in sulcos subjacentis cerebri demittuntur, arteriis, praeter solitum, replentur; atque cerebro utrobique contiguo arctiùs, quàm solent sanae, adhaerent (r).

XXVIII. Effusum ex inflammata *pia matre* sanguinis gluten rarò conspicitur. Inter hanc verò membranam, et superiorem cerebri

(q) Vid. BAILL. *ibid.* pag. 424.

(r) Vid. BAILL. *ejusd. oper.* pag. 429.

cerebri superficiem, interfusum pus deprehendere, haud insolitum est (*s*).

XXIX. Rarissimè tamen, inter se, cohaerent *dura mater* atque *pia mater* (*t*); propter interpositam, forsitan, membranam *arachnoidem*, in quam nullae arteriae et venae, vel saltem paucissimae (*u*), distribuuntur.

XXX. Cerebrum et cerebellum haud saepè, uti censet BAILLEIUS, inflammatione corripuntur, nisi ubi caput grave ex vi extrinsecùs illata detrimentum acceperit (*v*).

XXXI. Etiam, ubi in eorum substantia oritur inflammatio, exiguo plerumque fine circumscribitur.

(*s*) Vid. BAILL. *ejusd. oper.* pag. 429.

(*t*) Vid. BAILL. *ejusd. oper.* pag. 429, et 430.

(*u*) Vid. BAILL. *ejusd. oper.* pag. 427.

(*v*) Vid. BAILL. *ejusd. oper.* pag. 431.

circumscribitur. Pars inflammata rubet, praeter solitum; at multò minùs, quàm inflammatae partes membranarum. Insolitus rubor oritur ex plurimis exiguis arteriis sanguine turgidis, quae rimantibus *anatomicis* se videndas offerunt. Si, in parte summi cerebri cerebellive, oritur inflammatio, membranae contiguae inflammationis participes sunt. Inflammata pars neutiquam solito durior est, at tactu exploranti perindè videtur, ac si sana esset (*w*).

XXXII. Nonnunquàm etiam suppurant inflammatae cerebri cerebellive partes; atque, post mortem, abscessus ab introsipientibus percipiuntur. Rarò gangraena supervenit, nisi ubi inflammatio capite extrinsecùs graviter laeso concitata fuerit (*x*). Semel tantùm vidit BAILLEIUS gangraenam

(*w*) Vid. BAILL. *ejusd. oper.* pag. 432.

(*x*) Vid. BAILL. *ejusd. oper.* pag. 432, et 433.

nam cerebri, quae inflammationi aliâ causâ ortae supervenerat.

XXXIII. Aliquandò, ut ab auctoribus accipimus, in cerebri ventriculis et sulcis seu anfractibus serum, aut humores acres et ro dentes, continentur (y).

XXXIV. Hanc rei nostrae partem, MORGAGNI verbis, concludere licebit. “*Cùm omnia,*” inquit, “*quae dicta sunt,*”
 “*attenderis; huc redeas, necesse est, ut a-*”
 “*liae aliàs causae esse horum deliriorum vi-*”
 “*deantur, caeque pro varia sanguinis, hu-*”
 “*morumque natura, aut cerebri affecta parte,*”
 “*aut hujus à primordiis, morbisve praegres-*”
 “*sis constitutione, aut ejusmodi aliis, aut di-*”
 versâ

(y) Vid. MORGAGN. *De Sedibus et Causis Morborum,*
 lib. i. Epist. vii. § 7, 8, et 13.
 SWIETEN. *Comment. in Boerhaav. Aphor. tom.*
 ii. pag. 604.
Mem. de l'Acad. des Sciences l'an. M, DCC. VI.
 pag. 662, 663.

“ *versâ modò, plurimorum, modò horum om-*
“ *nium conjunctione, aliter in aliis agentes,*
“ *ut aliàs hunc, aliàs alium efficiant morbum.*
“ *Erit igitur in nonnullis cerebri, in pluribus*
“ *meningum inflammatio, aut certè vasorum*
“ *illa distentio, sed non tanta, ut magis com-*
“ *primat, quàm irriteret: in aliis effusa aqua,*
“ *sed irritans hæc quoque (z).”*

XXXV. Dictis morbidis, quæ oculis phrenitide mortuorum cerebra introspectentium obveniunt, nunc quaerendum est, quibus causis hic morbus oriatur.

(z) Vid. MORGAGN. *De Sedibus et Causis Morborum*, lib. i. Epist. vii. § 8.

C A U S Æ.

XXXVI. MORBORUM, quibus opportuni mortales sunt, eorum præsertim, qui brevi tempore aut ipsi finiuntur, aut aegrum tollunt, causas elicere et cognoscere, quatenus animis percipere et cogitatione comprehendere possint, medicos oportet. Necessè enim est, ignari sint et inscii, quâ morbi ratione curentur, qui, undè hi provenierint, prorsùs ignorent.

XXXVII. Medici igitur, qui rationalem profitentur medicinam, cujusque morbi, cui subveniunt advocati, student, non solùm aegrum et amicos percunãtando, quemadmodum se ante adversam valetudinem ille haberet, et undè aegrotare inceperit, causas abditas investigare, et evidentes; sed etiam animis et cogitatione comprehendere, quæ morbum causa contineat: atque, datâ operâ

râ ut causas pernoscant, secum reputant, quo optimè modo curationem exsequantur.

XXXVIII. Cùm ita sit, de his deinceps causis quàm brevissimè dicere, ne manca disputatio videatur, nobis in animo est.

XXXIX. *ABDITÆ CAUSÆ*—phrenitidis, seu, ut plerumque à recentioribus nominantur, *praedisponentes*, sunt arteriae corporis venaeque sanguine nimis plenae, atque musculosae simul fibrae justo ad irritandum faciliores. Nonnulli mortalium naturâ apti, prae caeteris, sunt, qui pleni fiant, et irritabiles. Plures autem implent, atque irritabiles faciunt, ignavia, pigritia, incuriosa animi mollities et mollis inertia, somnus nimius, luxuriosae dapes, vini intemperantia.

XL. Utî non omnes naturâ aequè apti sunt, qui pleni, supra modum, fiant, et irritabiles; ita non omnes pleni et irritabiles earundem partium inflammationibus opportuni

portuni sunt. Namque hujus cerebrum, ejusve membranae, levissimis causis inflammatione capitur; illius pulmones: aliud hepar, aut splen; aliud stomachus, aut alvus. Tot genitivas corporum proprietates, tamque mirandas, natura procreatrix concipere et progignere potest!

XLI. *EVIDENTES*.—Abditis causis morbi, quem agitamus, dictis, nunc ad evidentes, seu *excitantes*, uti appellantur, venimus; quae sanè numero plurimae sunt, atque naturâ dissimillimae.

XLII. Hujus causarum generis sunt, detrimentum, quod cerebrum ejusve membranae acceperunt à calva percussa, fracta, aut alioquin extrinsecùs laesa; calva depressa, et subjacentibus membranis ac cerebro nocens; atque ictus fervidi solis caput, praesertim nudum, impingentes.

XLIII. Ad idem genus pertinent, ossea tubera aut spicula, ex interna cranii superficie

ficiè orta, partes suppositas laedentia; membranae cerebri in os conversae; atque tumores, forsitan, iis haud absimiles, qui in glandulis strumosorum *lymphaticis* conspiciuntur.

XLIV. Hujus, porrò, generis causis annumeranda sunt omnia, quae committunt, ut in caput sanguis justo copiosius distribuat. Hujusmodi sunt, magna vis caloris; vehemens exercitatio, praesertim graves continenti spiritu nisus; vehementes animi diutinaeque concitationes; ebriositas; pervigilationes, lucubrationes, vigiles curae; gulosae quotidie vorationes; quibus accedant venena quaedam in stomachum assumpta.

XLV. Ut *primaria* phrenitis, ab inflammatione cerebri ejusve membranarum, incipit; ita *secundaria*, seu *symptomata*, aliis quibusdam supervenit morbis, quos nominatim memorare ad rem nostram satis erit.

XLVI. Morbi, qui phrenitidem nonnunquam

quàm movent, sunt, *synochus pleuritica* (a);
 febris continua (b); *miliaria* (c); *synochus*
sanguinea (d); *variola* (e); *morbilli* (f);
verminatio (g); *trichoma* (h); amor effre-
 nus (i); *otalgia* (j), *odontalgia* (k), *parony-*
chia (l);

(a) Vid. SYDENHAM. *Oper. Omn.* LUGDUN. BATAV.
 ANN. M. DCC, XXVI.

(b) Vid. SYDENHAM. *Oper. Omn.* pag. 230.

(c) Vid. FRID. HOFFMANN. *Observat.* 3, et 5. pag. 131.
 itemque

SYDENHAM. *Oper. Omn.* pag. 520.

(d) Vid. SYDENHAM. *Oper. Omn.* pag. 69, et 70.

(e) Vid. SYDENHAM. *Oper. Omn.* pag. 163, 167, 158,
 141, 144, et 160.

FRIEND. *Epistol. De Purgantibus in secund. va-*
riol. confluent. feb. adhibendis.

(f) Vid. MORTON. *De Febre Scarlatina*, hist. prim. quint.
 et sext.

(g) Vid. SENNERT.

(h) Vid. FRID. HOFFMANN. *De Feb. Phrenet.* n. 4. i-
 temque

STABEI. *De Plica*, hist. secund.

(i) Vid. DAN. WINCLER.

(j) Vid. HIPPOCRAT. *Prognostic.*

(k) Vid. SWIETEN. *Commentar.*

chia (l); putris continua, apud INDOS, febris (m); *tarantismus* (n); hydrophobia (o); exinanitiones diutinae (p); *diaphragmitis* (q), *pleuritis* (r), *mediastinitis*; *hepatitis* (s); purificus puerperarum fluxus justo maturiùs subsidens (t).

XLVII. CAUSA MORBUM CONTINENS.—
Memoratis causis, cùm abditis tum evidentibus,

(l) Vid. SAUVAGES. *Nosolog. Method.* Class. iii. Gen. xi. Spec. 13.

(m) Vid. BONT. *De Medicina Indorum.*

(n) Vid. BAGLIV. *Diss. hist.* vi.

(o) Vid. SAUVAGES. *Nosolog. Method.* Class. iii. Gen. xi. Spec. 15.

(p) Vid. MEYSEREI. *Malad. des armées*, tom. ii. art. 249.

(q) Vid. BOERHAAV. § 907.

HAEN. tom. i. cap. 7. itemque

HUXHAM. *De aëre*, l. 2. pag. 118.

(r) Vid. SAUVAGES. *Nosolog. Method.* Class. iii. Gen. xii. Spec. 2.

(s) Vid. BLASI. *Observ. Med.* 2. pag. 6.

(t) Vid. SYDENHAM. *Oper. Omn.* pag. 421.

tibus, nunc quaerendum est, qua ex causa, sicut communi parente, signa nascantur.

XLVIII. Haec cujusvis morbi causa, quippe cùm communis signorum stirps sit, appositissimè à CELSO dicitur morbum continere. Eandem verò causam recentiores medici *PROXIMAM* appellant. “*Hinc,*” inquit ROCKCLIFFIUS, “*apud eos foecunda inaniarum et contentionis materia: nam*”
 “*cùm proxima verbum comparativum sit,*”
 “*nequedum inter scriptores convenerit, quid*”
 “*semper significare oporteat; vix duo medicorum sunt, quorum in mente eandem vim*”
 “*habet, quique, per id, idem aliis sensum exprimunt (u).*”

XLIX. De causa, quae hunc morbum continet, pariter ac alios, qui inflammationem

(u) Vid. RICHARD. GULIELM. ROCKCLIFF. Disput. Inaug. *De Cynanche Tracheali*, GLASG. ann. M, DCC, XCIX. § xxxviii.

nem habent, tres omninò opiniones medicinae scholis inclaruerunt. Has, quae sint, et verae, necne, videantur, paucis dicemus.

L. *OPINIO PRIMA.*—Nonnulli medicorum, STAHLIUM secuti, contendunt, causam, quae omnes inflammationes continet, esse sanguinem, qui in arterias exiguas aberravit, quales duntaxat perlucidas sanguinis partes intromittere et distribuere solent.

LI. Quin hujusmodi *LOCI ERROR* accidat in tunica oculorum *adnata*, et, fortasse, in omnibus partibus inflammatione capitis, haudquaquam dubitamus. Sed, uti nobis videtur, est effectus inflammationis, potius quàm causa quae inflammationis signa continet. Argumenta igitur, quibus refutetur haec opinio, haud necessarium est adducere.

LII. *OPINIO SECUNDA.*—Causa, quae
D phre-

phrenitidem continet, est, uti BOERHAAVIANIS videtur, sanguis adeò, praeter solitum, lentus, seu spissus, ut exiguae eum transmittere arteriae nequeant.

LIII. Nihil verò, quòd scimus, est, quomobrem, *SANGUINIS*, dum urget inflammatio, *LENTOREM* inusitatum esse, credamus. Immò, est, cur contrariam potiùs accipiamus opinionem. Namque sanguinis è vena detracti gluten, cùm à sero tum à cruore, secedit, atque corium album sero supernatans repraesentat. Hoc cognito, concludere, ni fallimur, licet, sanguinis partes solitò languidiùs se mutuò attrahere.

LIV. *OPINIO TERTIA.*—Sunt, porrò, qui cum CULLENO censeant, causam, quae phrenitidem, juxtà ac alias inflammationes, continet, esse excitatos dolentis partis arteriarum motus, quos earundem arteriarum extremitatum spasmus inflamat (v).

LV.

(v) Vid. CULLEN. *First Lines*, § ccxlv.

LIV. Ad CULLENIANORUM verò sententiam accedere non possumus. Multi sanè CULLENUM putamus; pluris autem verum, quod medicorum, aequè ac caeterorum philosophorum, interest anquirere, atque cognitum scriptis, pariter atque dictis, illustrare.

LVI. CULLENIANORUM opinioni contradici potest, animis et cogitatione comprehendere difficillimum esse, quo modo sanguis, supra consuetudinem, cumulari possit in ipsissima arteriarum parte, in qua earum motus concitatissimi sunt. Ubì enim arteriae maximè excitantur, ibi minimè, putamus, sanguis remorari et cumulari potest.

LVII. Quinetiam, mente concipere nequimus, ubi *vis* ista, *medicatrix* naturae, quae, uti existimant CULLENIANI, utilitatum tam consultrix est et provida, insideat; undè didicerit, quandò utile sit, extremis totius corporis, partisve cujuslibet, arteriis
spasnum

spasmmum inducere, quandò inductum dissolvere; et quibus, denique, ministris inducat, quibusve dissolvat inductum.

LVIII. Denique, si, uti censent CULLENIANI, causa, quae continet inflammationem sive cerebri ejusve membranarum, sive aliarum quarumlibet partium, sit nimis inflammatae partis arteriarum motus, quem constrictae earundem extremitates incitant; esse, sanè, non potest, quin sanguis cumuletur, et inflammatio oriatur, inter partem arteriarum, ubi concitatissimus motus est, et constrictas extremitates.

LIX. Tribus his opinionibus rejectis, concedimus in sententiam eorum, qui judicant, causam, quae unam inflammationem quamque habet, esse *COMPARATIVAM* inflammatae partis arteriarum *DEBILITATEM*; prae qua, languidiùs per eas transmittitur sanguis, quàm in eas, à tergo, impellitur. Hinc, in arteriis, sanguis cumulatur: hinc partis tumor, et nimius calor: hinc duriores

res arteriarum ictus, et resiliens dolor: hinc impulsus in arterias perlucidas, contra consuetudinem, cruor; aut effusum, per patulos arteriarum surculos, in vicinam, si qua, *telam cellulosa*m sanguinis serum vel gluten.

LX. Sed quamobrem, quaeratur, debilitatem inflammatae partis arteriarum comparativam nominamus? Idcirco, respondeamus, quòd, qualis sit et quanta, aestimandum est, non simpliciter ex re, sed comparatè ex praesente vi caeterarum corporis arteriarum. Quò autem animo clariùs comprehendatur, quid valeat comparativa debilitas, quam assumimus, duo exempla ponemus.

LXI. Si partis cujuslibet, pedis scilicet, arteriae frigore, aut ictu, aut alià quavis causâ debilitatae sunt, dum caeteri corporis arteriae sanae sunt, et salutari vi micant; nonne sanguis, per arterias pedis languidiùs transmittetur, quàm in eas, à tergo, impellitur,

tur, ideoque in hoc orientur tumor, calor, dolor, aliaque signa inflammationis?

LXII. Contrà, si, dum arteriae pedis naturali et salutari vi moventur, eae caeteri corporis incitantibus quibuslibet solito concitatiùs et enixiùs micant; nonne necesse est, ut, in pede, eadem, quae diximus, mala orientur?

LXIII. His inter se comparatis, perspicuum, putamus, erit, quam, apud nos, vim habeat comparativa debilitas. Namque, iis, quae assumpsimus, concessis, consequatur necesse est, aut arterias partis cujusque inflammatae debiles, praeter solitum, esse, dum eae caeteri corporis naturali gaudent valetudine; aut, dum arteriae inflammatae partis solitâ vi pollent, eas caeteri corporis incitari solito vehementiùs.

LXIV. Expositis causis, cùm abditis et evidentibus, tum eâ, quae phrenitidem continet, proximum est, ut quorundam ex signis

nis rationem reddamus. De hac verò rei nostrae parte, fusè dicere, neutiquam nobis consilium est.

QUORUNDAM SIGNORUM RATIO.

LXV. *Pyrexia vehemens.*—Tantus cerebro et membranis consensus est cum caetero corpore, ut illa non possint inflammatione dolere, quin simul hoc vehementissimè incitetur. Hinc magna vis febris oritur, quae phreneticos perurget.

LXVI. *Dolor capitis*—nimio impetu efficitur, quo sanguis in arterias venasque cerebri membranarumque impellitur, et per eas transmittitur. Hinc enim fieri non potest, quin horum vasorum nervi intrinsecùs sanguine, extrinsecùs cerebro aut cranio, comprimantur, atque intolerabilis ferè doloris vis oriatur.

LXVII.

LXVII. *RUBOR FACIEI ET OCULORUM*—
 oritur, nostrâ opinione, partim ex sanguine,
 supra modum naturalem, cumulato in arte-
 riis faciei et oculorum venisque; partim cru-
 ore in perlucidas arterias, contra consuetu-
 dinem, impulso nimis motibus sinistri cor-
 dis, et magnae arteriae ramis in caput dis-
 tributis.

LXVIII. *LUCIS ET SONI IMPATIENTIA*
 —oculis et auribus, ob arterias venasque san-
 guine nimis turgidas, sensu acriore quàm ex
 consuetudine, praeditis, attribuenda est.

LXIX. *PERVIGILIO*—vexantur phreneti-
 ci, propterea quod cerebrum, prae nimia ar-
 teriarum venarumque plenitudine, adeò ci-
 tate facile est, ut res vel levissimae, quales-
 que sanum parùm agitant, graviter commo-
 veant, et somnum aut arceant, aut obrepen-
 tem fugent.

LXX. *DELIRIUM*.—Phreneticorum cere-
 bra, ut modò diximus, ob nimiam plenu-
 dinem,

dinem, ad incitandum faciliora sunt, quàm ex consuetudine; ideoque organa, quibus cernimus, audimus, gustamus, olfacimus, tangimus, acerrimo pollent sensu. Quo fit, ut ipsa, alienâ rerum, quas sensu accipimus, specie decepta, falsis mentem deludant imaginibus, quae nimios in animo motus, nec rationi obtemperantes, concitant. Ex alienatione autem mentis, et animi perturbationibus, nascitur, ut nobis videtur, delirium.

E

PROG-

PROGNOSIS.

LXXI. SEQUITUR, ut notas explicemus, quae, in phreneticis, vel spem, vel periculum ostendant.

LXXII. Quum, ut experientiâ comper-
tum est, morbi, caeteris paribus, plùs minùs
periculosi sint, prout partes, quibus consist-
ant, plùs ad vitam minùsve necessariae sint;
esse sanè non potest, quin phrenitis pericu-
losus semper morbus sit, plerumque lethali-
lis.

LXXIII. Siquandò tamen idoneis medi-
camentis et remediis opportunè subveniant
medici, atque dolor, caeteraque mala, qui-
bus affliguntur phrenetici, remittant, spe con-
solari licet. Scire quoque licet, non peri-
clitari phreneticos, si sanguinis pauxillum
exstillant nares; si ex ano sanguis erumpit;

si summâ ubique cute sponte oritur tepidus sudor; si alvus fluit; si, in urina, quaedam in imum deferuntur. Haec enim plerumque ostendunt, inflammationem remittere, et propè esse, ut discutiatur et conquiescat.

LXXIV. Contrà, gravis morbi periculum est, ubi medicina, etiamsi maturè succurrerit, parùm, aut omninò non, profuit, et increscens vis morbi futura, haecque majora, mala denunciât; et ubi aeger demens, atque linguae, pariter atque irae, impotens, continentibus insurgere, et violenter quaedam manu facere, conatur.

LXXV. Oculos etiam feroces esse, et solito plùs prominere, pessimi morbi est. Itemque periculosus est vomitus aeruginosus (*w*) aut porraceus. Mala quoque mingendi impotentia est; et urina cruda, vel alba,

(*w*) Vid. HIPPOCRAT. *Epidem.* lib. iii. aegrot. quart.

ba, vel diluta (x). Alvus etiam mala est, ex toto suppressa; vel, si quod descendit, est perliquidum, aut albidum (y), aut pallidum, aut spumans.

LXXVI. Praeter haec, interitûs periculum ostendunt stridor dentium, et tremores nervorum (z). Mortis quoque indicium est, si manibus quis phreneticus in veste floccos legit, fimbriasve diducit, vel in adjuncto pariete, si qua minuta eminent, carpit. Neque servari is potest, qui, conquiescentibus capitis doloribus, assiduè dormit; qui, sicut attonitus, spiritum trahit et emittit; cujus, per somnum, palpebrae non committuntur, atque oculi concavi, seu subsidentes, pulverulenti videntur.

LXXVII.

(x) Vid. HIPPOCRAT. *Aphorism.* Sect. iv. Aph. lxxii.

CELS. *De Medicina*, lib. ii. cap. iv.

(y) Vid. HIPPOCRAT. *Prorrhēt.* lib. i. cap. ii.

(z) Vid. HIPPOCRAT. *Prorrhēt.* lib. i. cap. i.

LXXVII. Mors quoque denunciatur, ubi ulcus, quod aut antè, aut in ipso morbo natum est, aret et subsidet. Ad ultima jam ventum est, ubi phreneticus aut, prae ferreo sopore, sicut attonitus, non audit, non videt; aut omnibus simul musculis convellitur.

CURATIO.

C U R A T I O.

LXXVIII. Caeteris rei propositae partibus absolutis, nobis considerandum est, quâ medicus ratione morti phreneticos eripiat, ereptosque persanet et confirmet.

LXXIX. Causis excitantibus, si quae adsint morbumque alant, ante omnia sublatis, oportet cerebri ejusve membranarum inflammationem quamprimum digerere. Hoc enim in morbo, uti consulto, ita maturè factò opus est; quum, morâ interpositâ, et omissâ occasione, necesse sit aegri moriantur.

LXXX. Quò autem discutiatur inflammatio, opus est, non solùm ut omnia, quae aegros stimulant et irritant, cavenda sint, simulque ex corpore materia quàm maturimè dematur; sed etiam ut iis, primo quoque

que tempore, subveniatur exulceratoriis et refrigerantibus.

LXXXI. *ABSTINENTIA*.—Dum aegri abstinent à carnibus, meracis potulentis, caeterisque, quae, stomachum incitando, caeterum corpus stimulant, inflammationemque exasperant et febrem; debent continere vocem, atque abdere se in aedium cubiculum, secretum, spatiosum, perflatumque habens, ubi oculis lucem secludant, auribus sonos, animo curas. Simul, cum aegris assidentes, tum rebus domesticis occupati, debent, quàm possunt maximè, sibi silentium indicere.

LXXXII. *EXINANITIO*.—Primo quoque tempore, utile etiam erit, materiam ex corpore demere. Hunc in finem, nedum tantum sanguinis, quantum vis morbi desideret, et aegrorum vires pati posse videantur, pleno rivo aut ex brachio emittendum est, aut, quod forsitan satius, ex alterutrisque externis juguli venis, vel alterutrisque temporum

temporum arteriis; sed etiam alvus refrigerantibus catharticis, salinis nempe, purganda, aut lotionibus, ex inferiore parte infusis, subducenda.

LXXXIII. *EXULCERATIO*.—Simul ut detractus sanguis est, oportet, sine mora, caput ad cutem tondere; dein aquâ merâ frigidissimâ, aut aquâ cum aceto, aut *aethere sulphurico*, etiam foto etiamque exulceratorium amplum superimponere; quo sanè remedio efficacius nullum est, quo inflammatio cerebri ejusque membranarum digeratur.

LXXXIV. *REFRIGERATIO*.—Tanta est vis morbi, quem agimus, ut, ad eam inhibendam perpacandamque, non sufficiat, calefacientia cavere, atque exinanitionibus pugnare et exulceratione; sed insuper opus est, incensum ipsius corporis calorem resedare.

LXXXV. Hoc consilio, ni prohibeat exulceratio,

exulceratio, caput subindè fovendum est, non solùm refrigerantibus modò memoratis, sed et udo luto, nive, et contritâ glacie. Neque verò externis modò phrenetici refrigerandi sunt, sed et internis. Dum enim caput extrinsecùs refrigeratur, debent subindè assumere succos acidulos, quos mala citrea, aut mala aurea, aliave terrâ nata, suggerunt; aut, horum vice, sales quosdam secundarios, qui commixtis in unitatem *potassâ* et *acido citrico nitrico* que efficiuntur, *potassae* nempè *citratem*, ejusdemve *nitratem*. Haec, enimvero, sitim pariter sedant, atque calorem; et, tam contra febrem, pollent, quàm inflammationem.

LXXXVI. *CORPORIS SITUS*.—Per totum morbum, phrenetici aut recto corpore esse debent (*a*), aut eorum saltem capita subjectis pulvinis suffulciri, ut minore copiâ et impetu sanguis in caput impellatur.

F

LXXXVII.

(a) Vid. CULLEN. *First Lines*, § cxcvi.

LXXXVII. *PEDILUVIUM*.—An, ut sanguis à capite derivetur, prosit, necne, pedes aquâ calidâ subindè fovere, nondum satis constat (*b*). Cùm ita sit, à hujusmodi remedio subsidium, necne, petendum sit, dicere non possumus.

LXXXVIII. Inflammatione discussâ medicamentis et remediis, quae diximus, convalescens quamprimum confirmandus est, ut ad sua munera obeunda validus fiat, idoneâ diaetae, exercitationis, et vestitûs ratione.

LXXXIX. *DIAETA*.—Revalescentium à phrenitide cibus, dum ex materia firma esse debet et valente, qualis vires nutriat, levis tamen debet esse, neque qualis cor multùm stimulet et arterias. Primùm aqua, decocta ex carnibus impuberum animalium anteferenda est; dein carnes ipsae jurulentae;
tum

(*b*) Vid. CULLEN. *First Lines*, § ccxcvi.

tum eadem elixae; postremò, eadem assae. Tandem, viribus paulatim relictis, confirmatis permittatur, ut suo stomacho vivant.

XC. A phrenitide revallescentibus permittant medici, ut potulenta aliquantò meraciora, vinum, nempe, aquâ et saccharo temperatum, aut cerevisiam, assumant. Iis autem interdicare medicos oportet, ne in temperato sibi noceant usu.

XCI. *EXERCITATIO*—quoque, ad vires convalescentium à phrenitide confirmandas, utilis est. Levis autem, quali alienis viribus solis, aut partim alienis partim propriis fruuntur, iis optimè convenit. Locis igitur umbrosis et frigidulis gestari commodissimum initio est; dein, primùm ut paululùm confirmatae vires sint, iisdem lentè equitare. Tandem, ubi vires satis relictæ sunt, confirmatis permittatur, ut propriis pedibus ambulent.

XCII.

XCII. *VESTITUS*—à phrenitide revalescentibus commodissimus est, qui, dum cutis halitum evocat, nec corpus gravat, nec motus impedit. In frigidis regionibus, laneus optimè convenit; in calidis, gossipinus.

XCIII. Qui, denique, ab hoc morbo convaluerunt, ii, in posterum, quàm maximè præcavere debent, ne causis excitantibus se temerè committant. Nisi enim has quàm sedulissimè caveant, periculum est, ne morbo denuò corripiantur et pereant.

